

DOMINICI
CAVALLARII
INSTITUTIONES
JURIS CANONICI.



DOMINICI
CAVALLARII

IN REGIA NEAPOLITANA ACADEMIA
PRIMARII PROFESSORIS

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

Quibus vetus & nova Ecclesie disciplina
enarratur.



EDITIO PRIMA VENETA
AUCTIOR ET EMENDATIOR.
TOMUS PRIMUS.



BASSANI, MDCCLXXXVI.



PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.



AD CUPIDAM
SACRORUM CANONUM JUVENTUTEM

AUCTOR. (*)

INSTITUTIONES canonicæ, quas stilo fufiore & multis quæftionibus insertis in publicum emifi, longiores viſæ ſunt, quam ut ſecundum præſentes mores in uſum ſcholarum poſſent adhiberi. Quaproter conſilium inivi contracta methodo elementa eccleſiaſticarum regularum tradere, quibus adoleſcentes juris candidati, qui auditorium meum frequentant, uterentur. Nec enim videtur probandus mos ille, qui jamdiu obtinet, artium & ſcientiarum elementa, ſcripto excipienda, tironibus tradere. Quæ ſcripto exhibentur, ſolent eſſe contractiora, nec multum expolita; coguntur enim profefſores ad temporis rationem ſe ac-

(*) Præfationem iſtam præmiſit Auctor (quem e vivis ereptum dolet litteraria Reſpublica) quartæ editioni, quam anno proxime elapſo 1781. adornavit.



AD INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
PROLEGOMENA.

CAPUT I.

De natura & origine juris canonici.

- §. I. *Ecclesia proprium regimen habet.*
- II. *Ejus potestas versatur circa tria.*
- III. *Canon quid?*
- IV. *Regulae fidei & politicae distinctae.*
- V. *Quid jus canonicum?*
- VI. *Primi Ecclesiae canones.*
- VII. *Canones apostolici.*
- VIII. *Constitutiones apostolicæ.*

§. I. **E**cclēsia a Jesu Christo ad hominum spiritua-
lem salutem collecta, certum regimen ad sui
conservationem requirit: est enim societas,
quæ æternum stare debet: & societates sine regimine quæ
consistent? Hinc Christus discessurus ex hoc mundo ad Pa-
trem, in Ecclesia regimen instituit: dedit nempe apo-
stolis eorumque successoribus ejus administrandæ & re-
gendæ potestatem: Joan. XX. v. 21. Actor. XX. v. 28.

§. II. Hæc autem Ecclesie regendæ potestas apostolis
eorumque successoribus demandata, circa tria versatur,
doctrinam, mores disciplinam. Doctrina continet dogma-
ta fidei: mores sunt actiones christianorum, quæ ad san-
ctissimam doctrinam componi debent: & disciplina com-
plectitur ritus liturgicos & exteriorem Ecclesie admini-
strandæ formam. In hæc tria non eodem modo se exer-
rit Ecclesie potestas: doctrinam enim & morum regulas
custodit, & in dubiis explicat: disciplinam vero pro lo-
corum & temporum adjunctis disponit. Sub nomine *πο-
λιτικῆς πολιτιæ* Chrysostomus *de sacerdotibus lib. IV. cap. 5.*
intelligit mores & disciplinam: quod nos brevitatis caus-
sa subinde faciemus.

§. III. Statuta omnia ad finem & politiam spectantia

& ult. : ut hinc constet, Ecclesiam etiam hodie omnium clericorum desiderare stabilitatem.

C A P U T XXIX.

De ordinibus gradatim suscipiendis, & eorumdem interstitiis.

- §. I. Ordines gradatim suscipiendi.
 II. & seq. De ordinum interstitiis.
 IV. Plures ordines in veteri disciplina prætermitti.
 V. Jure novo omnes ordines suscipiendi.
 VI. Episcopi ex causa contrahunt interstitia.

§. I. **A**ntiqua est Ecclesie disciplina moribus recepta, quæ initio facta ab inferioribus ordinibus per progressionem ad sacerdotium jubet ascendere. Cyprian. ep. LII. al. LV. ad Antonian. Etenim inferiora ministeria rudem sensim expoliunt animum, instillantque morum sanctitatem, & veluti manu ducunt ad scientiam sacerdotio necessariam. Quam disciplinam synodus Sardicenis can. X. confirmavit, quo cavetur, ut divites & scholastici de foro, qui erant ex ordine advocatorum, per gradus ad episcopatum promoveantur, ut nempe prius lectores, tum diaconi, inde presbyteri creentur.

§. II. Dum ordines gradatim suscipiuntur, non cito progrediendum, sed in unoquoque gradu diutius immorandum, ut fides & morum probitas, & constantia, & moderatio cognosci possit. Conc. Sard. can. X. Ars omnium difficillima est cura animarum, & longo potius usu & experientia, quam meditatione acquiritur. Et absonum profecto est, ut quis momento temporis animarum antistes evadat: quando omnes artes longo usu comparantur. Spatia temporis inter unum & alterum ordinem interjicienda ordinum interstitia posterior ætas appellavit.

§. III. Varia fuit Ecclesie disciplina de temporis in singulis gradibus diuturnitate. Satis longa in Occidente post seculum quartum erant interstitia: clerici usque ad annum trigessimum, in varias stationes tributis annis, stipendia in minoribus gradibus faciebant, anno tricesimo diaconi, & si ultra quinquennium bene ministrassent, presbyteri creabantur, can. 3. D. 77. Sed jure novissimo alias interstitia definita sunt. Minores ordines per temporum intervalla conferendi, nisi, aliud episcopo videatur, Trid. sess. XXII. de ref. cap. II., perpendetque
 ab

junii meridie pransi vespere cœnulam sumunt, quæ collatio recepta voce audit (a).

§. XI. Observatio jejunii, præsertim quadragesimæ, omnibus ex mente Ecclesiæ indicta est: nec aliquis in veteri disciplina sive ætate, sive conditione, sive vitæ genere exemptus credebatur. Certe Basilius *hom. II. de jejunio* docet, omnes in quadragesima ad jejunandum obligari, ne quis semet excludat a numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum ordines recensentur. Et Leo M. *serm. XI. de quadragesima*, quadragesimæ jejunium observantiam suis universis fidelibus sine exceptione denuntiat. Jejuniorum observatio indicta erat propter pœnitentiam, quæ christianis omnibus necessaria censebatur. Tantum ex veteris ecclesiæ regulis abstinere a carnibus in quadragesima non tenebantur, qui inevitabili necessitate, atque fragilitate, vel etiam impossibilitate ætatis onus ferre poterant, idque postquam veniam a sacerdote obrinuisent. Conc. Tolet. VIII. can. 9. Hinc novitatem sapit doctrina illa, qua multi, sive ætate, sive vitæ genere jejunio eximuntur.

(a) Origine collationis sive vespertine cœnule est a monachis reperenda, quibus ob manuum laborem ipsis jejunii diebus permittebatur, ut post sumptum legitima hora cibum, antequam cubitum irent, aquam biberent: cui potioni postea frustulum panis additum est, ne simplex aqua noceret. Sumebant vero monachi hanc refectionem in cella ad prandium destinata ante collationem: que erat lectio spiritalis ante completorium in claustris vel capitulis quotidie fieri consuevit. Hinc ne tempus vitæ regularis officii destinatum in sumenda carnula reverent, diebus jejunii collationem in ipsa cella ad prandium addita habere cœperunt, aditumque illum ad refectionem diebus esurialibus sumendam eam formulam significabant, ire ad collationem. Ita nomen collationis a spiritali lectione ad serotinam illam refectionem translatum est, & a secularibus eo sensu usurpatum, quum eusque progressus jejunii relaxatio, ut jejunantes meridie pranderent, & vespere nihilominus cœnulam sumerent. V. Natal. Alexand. sec. II. hist. eccles. diss. 4. art. 7. prop. 2.

FINIS TOMI PRIMI.

